



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

844. Ad quid per verba illa regulæ: & infra 6. menses ipsum possessorem ad iudicium evocare facere, &c. obligetur impetrans.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

in qq. benef. p. 1. c. 85. n. 33. dum ait eam locum non habere in præjudicium institutionis faciendæ ad præsentationem veri Patroni, pro quo citat Seraph. decis. 285. n. 6. & Rotam decis. 796. n. 3. l. 3. p. 3. divers. Item in manualibus. Chok. ex mand. cit. q. 9. citans etiam pro hoc Mohed. decis. 169. Gernon. de indultis Card. §. regularia. n. 37. Neque in consistorialibus, hoc est, beneficiis, de quibus Papa disponit in Consistorio coram Cardinalibus. Paris. de resign. l. 2. q. 2. n. 6. citans Sarnenf. ad hanc regulam. q. 24. & Rotam in Spoletana abbatis.

**Questio 844.** Ad quid per verba illa regula: & infra sex menses ipsam possessionem ad iudicium evocari facere, causamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam diffinitivam inclusivè prosequi debeat (quæ vocatur secunda pars regula. Lott. l. 2. §. 2. n. 51) obligetur impetrans, & qualiter isti obligationi satisfaciat?

1. **R**espondeo: tamen si videri posset satis esse, ut infra 6. menses decreta sit citatio possessoris, ut tenuisse aliquando Rotam, tenet Glossator Alphon. Soto apud Chok. hic n. 8. verisimilius tamen censet ipse, & cum eo Chok. hic n. 38. non sufficere quoad effectum hujus regulæ, citationem infra 6. menses ab impetrata gratia decretam, & impetratam esse; sed insuper executionem illius (ut verba illa: ad iudicium evocare facere: satis indicare videntur) quin & cursoris seu nuncii, per quem facta citatio, relationem; eò quòd statuta debeant declarari juxta jus commune; secundum quod citationes ita completè accipi solent, ut etiam nuntiorum responsiones & relationes includant, ut Host. in c. quoniam contra. de prob. §. citati omnes. Quod tamen limitat Chok. hac ratione n. 40. nisi possessor mittat mandatum pro cura; quia illud æquippollet citationi executæ.

2. Secundò tempus illud 6. mensium incipit currere à tempore datæ impetrationis, non verò à tempore expeditionis Bullarum. Glossator apud Chok. n. 12. & apud eundem n. 44. Gomez. n. 67. Rebuff. in pr. ad hanc regulam. gl. 14. ubi, quòd Papa parte instante soleat hoc semestre prorogare, dummodo tamen non elapsum sit. De ceterò, si impetrans, cessante tali prorogatione, possessorem analem interea non vocavit in iudicium, intrabit dispositio hujus regulæ.

3. Tertio annus ille ad prosequendum incipit currere non à tempore citationis factæ, sed executæ. Tond. in qq. benef. p. 1. c. 85. n. 24. Chok. hic. n. 46. citans Mand. hic q. 73. Lott. loc. cit. n. 61. citans Sarnenf. hic q. 66. quem secuta esse Rotam, ait in una Augustana Canonica. 8. Februarii. 1602. Idque etiam si citatio facta fuisset ante lapsum semestre, v. g. sub ejus initium vel medium; licet non detur dilatio 6. mensium ad citandum; sive ut interim citari possit possessor, sive in curia Romana, sive extra illam existens; dum citatur v. g. secundo mense istius semestris, non debet expectari tempus sex mensium elapsorum, seu ultra duos illos menses adhuc 4. alii, ut tunc demum, iis elapsis, inchoetur dictus annus. Glossator apud Chok. n. 4. Chok. ipse n. 46. citans Mand. hic q. 72.

4. Quartò regula hæc exigit, expeditionem causæ fieri in petitorio intra annum; si tamen adversarius suspendisset petitorium, totum illud tempus disputationis possessorii ab anni cursu deducit.

cedum est. Tond. n. 26. & 27. citans Cres. decis. 10. de causa prop. & poss. Sufficit autem, impetrantem facere quantum est in se quòd expeditionem causæ, & quòd per eum non steret, quò minus intra annum fuerit pronunciata sententia & causa finita; si id contingat ob varias adversarii exceptiones & replicas, aut iudicis hæitationem, ita ut impetranti ob dicta impedimenta supervenientia, quæ contingunt ex partis vel iudicis facto, vel alio modo (de quibus vide Franc. in c. ex ratione. de appellat.) non currat interea dictus ille annus. Glossator apud Chok. n. 15. & ipse Chok. n. 47. citans Gonz. ad regulam 8. gl. 12. §. 1. n. 17. Tond. loc. cit. n. 22. Lott. loc. cit. n. 57. junctò n. 62. & 63. & n. 59. subdens, & pro hoc citans Aymon. conf. 132. n. 4. Menoch. conf. 518. n. 3. tunc demum iudicandum adhibitam sufficientem ab impetrante diligentiam, si constabit, juris remedia omnia fuisse tentata, veluti si in citando fortè latitantem, vel alias absentem, servata sit forma juris, de qua in Clem. 1. §. quia verò. de iudic. Et in prosequendo seu expediendo, si ex actis resulet justificatio narratorum facta intra annum, cum debita instantia pro ipsa expeditione, adeò, ut non stereret per ipsum impetrantem, quo minus iudex pronunciaret &c. procedereque hunc effectum adhibita diligentia, etiam si possessor malignè fuisset cursum iudicii remoratus; puta, recurrendo ad laicos, vel etiam justificatam ab impetrante gratiam possessor seu reus exceperit, & obtinuerit dilationem ad probandam suam exceptionem; adeò ut ipsi impetranti opus sit novas probationes facere pro elidenda exceptione rei, tradit Lott. à n. 62. monet tamen Glossator loc. cit. & Rebuff. in pr. ad hanc regulam. gl. 15. apud Chok. n. 46. debere in hoc casu impetrantem protestari, quòd per eum non steret, ne alias fortè currat ei terminus. Negat tamen hoc ipsum Tond. loc. cit. n. 23. nimirum quòd opus sit aliqua protestatione super impedimento, maxime, si tale impedimentum proveniat ex facto adversarii, citat pro hoc Riccius. Collect. 318. subdit tamen Tond. n. 24. quòd in Gallia teneatur impeditus protestari, & protestationem intimare parti, alias excludatur, propter decretum de pacif. possessoribus. ait etiam Chok. loc. cit. n. 46. quòd quia plerumque ob similia impedimenta causa intra annum finiri non possit aut soleat, impetrantes soleant à Papa derogationem hujus secundæ partis regulæ impetrare; aut saltem obtinere prorogationem protestando, quòd per ipsos non steret; monet etiam Mand. q. 76. quòd impetrans prorogationem istius anni ad prosequendum, vel etiam semestris ad citandum, debeat eam obtinere adhuc constitutus intra illum annum aut semestre, alias illi prorogationem non profuturam; sed nova opus esse concessione. Porro in casu, dum possessor intra semestre citatus cessit beneficio, vel decessit intra annum, non imputari impetranti, si non fuerit persecutus usque ad sententiam, tradit Rebuff. ad hanc regulam. gl. 14. apud Chok. n. 48. qui tamen ait, aliter in hoc puncto videri voluisse Gomez. hic q. 62.

**Questio 845.** An obtinens gratiam motus proprii teneatur hanc regulam observare?

**R**espondeo affirmativè; cum enim hæc regula lata sit publicæ utilitatis gratiâ, ad fraudes & lites repellendas, non censetur Papa huic regulæ velle derogare per clausulam motus proprii (quæ ut Jo. And. in c. si motu proprio, de prob. in 6. Alex. conf. 205.